

„sensu Apostoli est, sicut operarius dignus est mercede, unde vivat; ita & Evangelii ministrum dignum esse honorario subsidio, unde sustentetur. Tantum enim in hac comparatione spectatur sustentatio operanti debita. Unde & Christus *Matth. 10.* eandem sententiam adferens, pro mercede, cibum nominavit: *Dignus est, inquit, operarius cibo suo.*

XXVII. Totus ergo discursus Apostoli hoc unum vincit, operariis Evangelicis alimenta deberi, non tamquam mercedem operis; sed tamquam media necessaria, ut evangelizare possint. „Secularis quippe militia, quia cœlestia non habet, terrena strenuè militans praestat; ita qui autem Ecclesiae serviunt, & labori tuo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent, aut accipiunt libenter aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant, quod Ecclesiae servientes, stipendia terrena, ac non potius præmia aeterna percipiunt.“ Ita citata Synodus Aquigranensis *Can. 107.*

XXVIII. Deinde, ut bene respondet Adrianus VI loco citato, „non militat suis stipendiis, qui concessa temporalia divina militi impendit; cum omnia temporalia bona divina sint stipendia, in stipem & sustentationem vitae hominibus concessa, ut ei magno fervore & absque sollicitudine distrahente servitia grata dependant.“

Addit Adrianus: „Secundò ad mentem Apostoli, quod nemo tenetur regulariter stipendiis, quæ sua sunt comparatione ad homines, quæ scilicet ab eis non capit, hominibus certis militare. Nihilominus quia stipendia Ecclesiastica solum sunt ad necessitatem ministrorum, & non quasi merces laborum instituta, ideo non possunt huiusmodi pro se suscipere, nisi quantum egent sub modificatione prius expressâ.“

XXIX. Observandum insuper, quod Christus sententiam illam, dignus enim est Operarius cibo suo protulerit, postquam Apostolus dixisset: *Gratis accepistis gratis date, nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calcamenta, neque virgam,* quibus omnibus voluit, ut quasi omnibus temporalibus desituti, nudi ad prædicandum Evangelium pergerent. Sed ne hisce nimium turbarentur, cogitarentque sibi necessaria alimenta defutura, præcepti sui, apparentem severitatē temperavit, „ostendens (ait Jansenius Gandensis citato *c. 55.*) quare nudos illos mittat, nimirum quod quæ ad victum & vestitum ipsis essent necessaria, eis deberentur à discipulis eorum, ut sine omni rubore & verecundia ab eis illa possent accipere, nec necesse esset harum rerum onere & sollicitudine sese gravare.“

Ex quibus non obscure intelligitur, sententiam Christi, ad quam & totus Apostoli contextus refertur, non spectare nisi alimenta seu cibum Operariorum Evangelicorum, quos ad ea accipienda cogit vivendi necessitas, non habendi cupiditas.

XXX. Cardinalis Bellarminus *lib. 1. De Clericis c. 27.* querens, an qui bona Patrimonialia habet, possit simul bona Ecclesiastica habere, & pro utraque sententia auctoritas nonnullis auctoritatibus, credit, auctores utriusque sententiae posse forsitan conciliari, ut dicamus S. Prosperum (quem citat pro negativa) „loqui de illis, qui planè sufficientem habent sustentationem ex patrimonio aut Beneficio. Tunc enim alterum est superfluum, & proinde pauperibus debitum. Alios verò auctores loqui de illis, qui neque ex patrimonio neque ex beneficio sufficientem omnino sustentationem habent. Hi enim utrumque retinere possunt, modo ex utroque nihil accipiant ultra sustentationem decentem, juxta conditionem proprii status. Quod enim verè superfluum est, dandum esse pauperibus, Theologi communiter docent.“

XXXI. Si cui hæc reconciliandi ratio placet, me disci-

sententem non reperiet. Si quis enim proventus Beneficii & patrimonii confundat, atque ex his *bonellam ac moderatam* sustentationem accipiat, & superfluum in pauperes, aliumve pium usum expendat; nullatenus vivendo ex bonis Ecclesiae censum suum patrimoniale auget; nec pauperes plus gravat, quam is qui totam sustentationem acciperet ex bonis Ecclesiae, & patrimonium pauperibus erogaret.

CAPUT VI.

De Divisione bonorum Ecclesiae; & an per eam natura illorum mutata?

1. Ecclesia etiam Christo vivente suas habuit facultates; sed in communi.
2. Christus oblationes Fidelium uni in suos & discipulorum ac pauperum sumptus distribuendas commisit.
3. Christus formam dispensanda pecunia Ecclesiastica dedit; & furem passus est, ut Ecclesia fures parceretur.
4. Juxta normam à Christo institutam, omnia oblata erant communia; & uni concedita.
5. Eandem normam Apostoli, & eorum successores aliquot seculis retinuerunt.
6. Decretum Concilii Romani sub S. Silvestro de divisione rerum Ecclesie in 4. portiones.
7. Hoc Decretum merito ut suppositum rejicitur.
8. Divisionis illius in 4. portiones ut jam stabilita meminit Gelasius I.
9. Sanctus Gregorius respondet juxta illam divisionem bona Ecclesiastica dispensanda.
10. Quatuor illa portiones non arithmetice distribuuntur.
11. Probatum de portione Clericorum.
12. Distributio fiebat auctoritate & judicio Episcopi.
13. Quomodo portio pauperum distribuereetur?
14. Scopus hujus divisionis quadrupartita, fuit ut bona Ecclesiastica juxta suam conditionem rite dispenserentur.
15. Hæc divisionis norma, re ipsa ab omnibus Ecclesiis probata fuit.
16. Natura bonorum Ecclesie per hanc divisionem non mutata.
17. Post eam divisionem monuerunt Concilia, bona dispensanda juxta normam Apostolorum.
18. Alia bonorum Ecclesie divisio per erectionem beneficiorum.
19. Tertia per divisionem inter Episcopum & Capitulum; item inter ipsos Canonicos.
20. Hæc divisio dissimulante potius quam probante Ecclesia facta est.
21. Per hanc divisionem non fuit mutata conditio bonorum Ecclesie.
22. Idem modus loquendi habetur in Canonibus post divisionem, qui erat ante illam.
23. Per divisionem factam inter Canonicos portio pauperum & fabrica periclitari capit.
24. Canonicis singulariter viventibus una portio vix sufficere potuit.
25. Ecclesia vitam singularem Canonicorum permittens, etiam permittit, ut singuli ex bonis Ecclesiasticis necessaria accipiant.
26. Ex bonis Ecclesie primum providendum necessitatibus Ministrorum.
27. Non eadem est ratio bonorum quæ nominatim in usus pauperum aut fabricæ relinquuntur.
28. Tenentur Clerici de bonis Ecclesie moderatè vivere, & superfluum pauperibus distribuere.
29. Quomodo semper idem fuerit Ecclesie sensus quoad usum bonorum Ecclesiasticorum.

I. Ecclesia

Ecclēsia ferè antequam nata, id est, ante adventum Spiritus Sancti, imò ipso adhuc Christo Domino conversante in terris, cepit bona quædam habere; quæ tum in solis Fidelium voluntariis oblationibus consistebant. Una autem erat earum omnium communis massa, seu commune ærarium.

II. Dispensatio autem ærarii illius uni erat commissa; ut vel in Christi & Discipulorum ejus in Evangelii prædicatione operantium necessitates, vel in egenorum sumptus distribueretur; quemadmodum Evangelista Joannes scriptum reliquit.

Dicit enim *c. 12.* sui Evangelii: *Unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui eum erat traditurus, dixit: Quare hoc unguentum, non venit trecentis denariis, & datum est egenis. Dixit autem hoc, non quia de egenis percinebat ad illum sed quia fur erat & loculos habens, & ea qua mittebantur portabat.*

Et rursum *c. 13.* *Hoc enim nemo servit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quia dicit ei Jesus: eme ea que opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.*

III. Habebat ergo Dominus loculos & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuebat, ait Augustinus *Tractatu 62. in Joannem nu. 5.* additque: *Tunc primum Ecclesiastica pecunia forma est instituta.* Apud Gratianum *Canf. 1. 2. q. 1. Can. 17.* Et *tractatu 50. n. 11.* *Exemplum Domini accipite conversantus in terra, Quare habuit loculos, cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit, nisi ut ejus Ecclesia fures patienter toleret?* Apud Gratianum *Canf. 1. 1. q. 1. Can. 12.*

IV. Porro ex forma dispensationis oblationum à Christo conversante in terris servata, habetur, quod omnia à fidelibus oblata in unam *bursam* sive eosdem loculos conjicerentur; ejuſque cura uni, scilicet Judæ Iscariotes concedita fuerit.

Secundò quod ea in necessitate Christi & Discipulorum nec non egenorum sumptus ex Christi præscripto esset expendenda.

V. Hæc forma à Christo præsignata, ab Apostolis, eorumque successoribus servata est quatuor ut minus seculis eatenus saltem, ut alia non esset nota rerum Ecclesiasticarum divisio, quam ipsarummet Ecclesiarum.

Sicuti enim Universalis Ecclesia Christi in plures particulares Ecclesias seu Dioceses divisa fuit, atque unicuique suis præfixis Episcopus & Clerus; ita quoque unicuique Ecclesie erant suæ facultates, & quibus & ministrorum & pauperum necessitatibus provideretur: at earum nulla erat inter Episcopum, Clerum, templorum fabricam, aut pauperes rerum illarum nota partitio; sed omnium in communi dispensatio Episcopo erat concedita, qui eas pro singulorum necessitate & exigentia distribueret, & etiam sibi, si indigeret, applicaret; quemadmodum tum ex Canonibus 40 & 41. vulgo Apostolorum, tum Canonibus 24. & 25. Concilii Ancyonensi celebrati seculo IV. videre licet; & referuntur à Gratiano *Canf. 12. q. 1. Can. 22. 23. & 24.*

VI. Cœdiderunt nonnulli aliquam proventuum Ecclesiasticorum divisionem factam fuisse sub initium seculi IV. sedente Silvestro Papa. Isidorus enim suæ Canonum collectioni inseruit 20. Canones ejusdem Concilii Romani habiti anno 324. præsidente S. Silvestro; in quorum quarto dicitur: *Commoneo autem vobis omnibus mihi confortibus monumentum hoc, ut de redditibus Ecclesie quatuor partes fiant, quarum una cedat Pontifici ad sui sustentationem, altera Presbyteris & Diaconis & omni Clero & tertia templorum & Ecclesiarum reparationi, quarta pauperibus & infirmis & peregrinis.*

VII. Apposita autem est ibidem hæc nota marginalis: *Supposita videntur Hincmaro, ac plerisque viris eruditissimis, 20. ista capita (sive Canones) quæ Isidorus suæ collectioni non intexit.*

Et sanè tam multa, vel in ipsis hæc Canonibus occurrunt, quæ à temporis illius disciplina, & statu Ecclesie, qui tunc erat, discrepant, quæque à multis jam detecta sunt, ut nemo non videat, hæc Decreta ad Ilidorianas merces merito pseudo primorum Pontificum Decretalibus epistolis esse ableganda.

VIII. Recentius, ac certius divisionis illius testimonium occurrit in epistola 9. Gelasii *l. c. 29.* relata per Gratianum *Canf. 1. 2. q. 2. Can. 27.* ubi scribit: *Quatuor autem tam de re, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesie facultas admittit (sic dudum est rationabiliter decretum) convenit fieri portiones; quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.*

Hic notandum, Gelasium de hac divisione loqui tamquam dudum decreta, sicut DUDUM rationabiliter est decretum.

IX. Interrogaverat Augustinus Anglorum Apostolus sanctum Gregorium: *De his quæ Fidelium oblationibus accedunt ad altaria, & quantæ debeant fieri portiones, & qualiter Episcopus agere in Ecclesia debeat.* Respondit Gregorius: *Mos Apostolica Sedis est, ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, una videlicet Episcopo, & familiae ejus propter hospitalitatem, & susceptionem, alia Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesie reparandis.* Refertur apud Gratianum *Canf. 1. 2. q. 2. Can. 30.*

Et scribens idem sanctissimus Pontifex Maximiano Episcopo Syracusano *lib. 3. epist. 11.* mandat, „ut si de præteritis redditibus, si de eis qui jam obvenerunt & obvenerint, quarta secundum distributionem canonice, dispensentur.“ *Canf. 1. 2. q. 2. Can. 29.*

Porro circa hanc rerum Ecclesiasticarum divisionem notandum, in primis eam non arithmetica sive æquali planè proportione institutam aut factam fuisse; sed variam fuisse secundum consuetudinem locorum, & circumstantias quæ nunc majorem portionem in pauperes, nunc majorem in Clericos pro horum illorumque indigentia & numero impendendam suadebant.

XI. Querebatur apud S. Gregorium Clerus Catanensis, quod portio reddituum Ecclesiasticorum quæ Clero cedere debebat, non rectè distribueretur; inquirendi curam Gregorius dedit Cypriano Diacono suo: Hic factâ inquisitione, de quarta portione Cleri hoc tenendum statuit, ut unam portionem hi qui in sacro loco sunt positi, & reliquas duas Clerus accipiat. At Presbyteri & Diaconi (qui hic dicuntur in sacro loco, & sacro ordine constituti) „conquæsti sunt, hoc contra antiquam consuetudinem in suo gravamine præjudicialiter statutum; quippe quia de eadem quarta semper se duas partes, & tertiam Clerum perhibent consecutum; & petiverunt, ne hæc divisio in suo præjudicio permaneat.“

Ut huic difficultati & querelæ satisfaciatur Episcopus, vult S. Gregorius, ut quartam hanc inter Clericos & Ministros Ecclesie pro singulorum meritis distribuat. *Voluntus ergo (ait) ut quicquid Ecclesie tuæ ex reatu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem Presbyteris, Diaconis, ac Clero, ut tibi visum fuerit discretè dividere: ita sanè ut unicuique sicut meritum laboris exegerit, libra tibi sit, juxta quod prævideris, largiendi licentia: quatenus & hi qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, & alii adjuvante Domino eorum, ad melius contendant imitatione proficere.* *Lib. 7. epist. 8.*

Ttt 4.

XII.

XII. Nequaquam igitur quarta portio totius patrimonii Ecclesiae assignabatur Clericis, ut ipsi aequalibus portionibus eam inter se dividerent; sed integra adhuc rerum Ecclesiasticarum administratio erat penes Episcopum, qui monebatur, ut quartam eorum portionem in Clerum, pro singulorum meritis, prout sibi videretur, dispenseret.

XIII. Similiter portionem pauperum dispensationi Episcopi mansisse subjectam; eamque pauperum majore vel minore indigentia, & meritis attentis debuisse dispensari, manifestum est ex ejusdem Pontificis *epist. 29. lib. 9.* in qua monet Episcopum Neapolitanum, ut portionem Cleri & pauperum, quam ejus Praedecessor dare neglexerat, ulterius dispensare non differat; praescripta norma distributionis, in qua inter alia praescribitur, ut dentur hominibus *honestis & egenis*, quos publice petere non permittitur *verecundia*, solidi centum quinquaginta; ita ut quidam eorum ad singulos tremilles, quidam ad binos, quidam ad singulos solidos, vel si visum fuerit amplius dimittantur. Reliquis vero pauperibus, qui eleemosynam publice petere consueverunt, solidos triginta sex.

Hic per occasionem notare lubet, S. Gregorium pauperibus honestis & verecundis ampliores quam publice mendicantibus partes distribui velle, nempe quadruplo majores. Quod pauci satis attendunt.

XIV. Ex haecenus dictis sat manifestum est, quod unicus Canonum & Decretorum hanc quadripartitam divisionem statuentium scopus, & genuinus intellectus fuerit, ut ex proventibus Ecclesiasticis, mercos sive sustentatio Clericorum bona fide ministrantium decerneretur, pauperum alimoniam subveniretur, & diem sacrarum facta testata procurarentur, non arithmetica quidem, sed rationabili distributione.

XV. Quapropter licet non videatur in multis, extra Italiam, recepta & stabilita verbis expressis, haec quadripartita divisio: nihilominus omnium Ecclesiarum communis consensus fuit, proventus Ecclesiasticos in illos usus esse impendendos: id est, ex iis Episcopos & alios inferiores ministros sustentandos, pauperes alendos, & fabricam intertinendam.

Ut igitur concedamus erudito operum S. Gregorii Revisori in notis ad *epistolam 31. Lib. 12. aut nullis, aut paucis in locis Galliarum hanc quartarum distributionem vixisse*; negari tamen nequit, Canones Gallicanos voluisse, proventus Ecclesiasticos in Clericos, pauperes, & fabricam esse impendendos: ut ex Concilio Aurelianensi I. celebrato anno 511. *Can. 5.* aliisque plurimis Canonibus manifestum est.

XVI. Nihil proinde per ea Decreta, quae quadrimembrem divisionem urserunt, circa naturam bonorum Ecclesiasticorum immutatum fuit; imò nec vera eorum divisio facta fuit; sed monebantur Episcopi, ut fideliter proventus Ecclesiasticos juxta eorum naturam & conditionem administrarent; uti rectè nota Thomasius de Disciplina Ecclesiae *parte 4. lib. 4. c. 32. n. 9.*

XVII. Idcirco monet etiam saeculo 9. Concilium Parisiense VI. *Lib. 1. Can. 15.* non aliter ab Episcopis esse res Ecclesiasticas dispensandas, quam Apostolorum temporibus. Verba Canonis sunt: "Et licet crescente fidelium devotione copiosissimis, ac munificentissimis eorum liberalitatibus sancta donata sit Ecclesia, eundem tamen usum Apostolorum successores in tractandis & dispensandis Ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint."

XVIII. Alia bonorum Ecclesiasticorum divisio facta fuit per erectionem beneficiorum: quando certi ac determinati redditus, praesertim decimae & oblationes, singulis titulis annecti coeperunt, de quorum origine & incremento actum est supra *tit. 18. c. 1.*

XIX. Altera quoque divisio, sed quae priore posterior & recentior est, facta fuit, dum Episcopi & Capitula bona

dividere coeperunt. Hinc postmodum successit bonorum Capitularium inter ipsos divisio; quae singulis Canonici sua praebenda assignata fuit: quae divisio invaluit, dum Canonici deserta vita communi ad vitam singularem transierunt: de quo transitu actum est supra *parte 1. tit. 7. c. 2.*

XX. Hoc merito notandum, quod sicut ipse transitus ad vitam singularem sensim contigit, dissimulante potius, quam probante Ecclesia; ita & hanc divisionem mensurae capitularis inter Canonicos, non aliquo positivo Ecclesiae praeepto inductam aut probatam fuisse; sed dumtaxat dissimulatione Ecclesiae sensim invaluisse & stabilitam esse.

XXI. Interim quaecumque facta sit, sive per beneficiorum erectionem, sive per partitionem inter Episcopum & Capitulum, vel inter ipsos Canonicos; hoc unum contigit, ut dispensatio bonorum quae vel integra erat penes Episcopum, vel communis inter Canonicos in communi viventes, tandem ad ipsos particulares beneficiatos, vel Canonicos transierit; manente ipsa bonorum Ecclesiasticorum natura aut conditione invariata, dispensationis norma non nihil dumtaxat immutata.

XXII. Hinc videmus in Pontificum scriptis, Episcoporum Decretis, Conciliorum Canonibus, etiam post eam bonorum divisionem, bona Ecclesiae dicti *Patrimonium pauperum, patrimonium Christi, res Dei*, non secus atque ante eam divisionem: uti ex Canonibus aliisque quae in praecedentibus capitulis relata sunt, facile observari poterit.

XXIII. Interim id negari nequit, quin per eam inter Canonicos praebendarum divisionem, periclitari vel maxime coeperint illae duae quartae, pauperum & fabricae uti monet Boëtius Epo ad *Cap. 1. De Testamentis n. 52.*

XXIV. Et revera, uti ibidem *n. 45.* notat idem author: "Vix fieri potuit, ut unica quarta bonorum Ecclesiasticorum pars, quae ex illa quadripartita eorum divisione cessit reliquis Clericis, omnino sufficeret ad eos extra communionem praesertim alendos, eo quod sumptuosum sit alere familiam singulos: necessarium videtur in consequentiam venisse, ut illa partitio quadripartitis, non amplius observaretur, sed omnes omnium bonorum Ecclesiae communium proventus inter solos Episcopum & Ecclesiam reliquam dividerentur. Quae quidem res & pauperibus & fabricae & hospitalitatis exercitiis, quae non ab Episcopo solo, sed à communis vitae sociis procul dubio frequenter fiebant, incommodius accidit."

XXV. Interim dum Ecclesia hanc Praebendarum divisionem tolerat; patiturque Canonicos *privatim* extra vitam societalem sive communem, familiam instituire, censetur quoque; permittitur, ut de rebus Ecclesiasticis moderatam & honestam sustentationem accipiant; superfluis in pauperes & alios pios usus distributis. Nam, uti post Gratianum rectè monet Boëtius Epo loco citato *nu. 16.* "Licet res Ecclesiae omnibus debeant esse communes, primum tamen sibi Episcopus & suae Ecclesiae deservientibus necessaria subministrat, & reliqua quae superflua sunt, fidelium usibus ministraturus."

Hæc Gratianus post *Canonem 27. can. 12. q. 1.* qui & dein insertus: "Ita & Praebendae Ecclesiarum, eadem charitate manente, pietate & religiose possunt distribui, nec tunc rebus Ecclesiae, ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservitur: ut ex his quae sibi assignata sunt, primum sibi necessaria percipiat: si quae vero suis necessitatibus superflua sunt, in communes usus Ecclesiae expendat."

XXVI. Dum ergo voluit Ecclesia, ut bona Ecclesiae in pauperes, & fabricam distribuere, hoc ita perpetuo intellexit, ut primum necessitatibus Ministrorum suorum provideretur, quibus Christus à populo alimenta seu cibum subministrari voluit: & cui praeepto

cepto per horum bonorum oblationem populus indubie satisfacere voluit.

XXVII. Hinc & indubitatum est, non eodem jure bona Ecclesiae esse res pauperum, sicuti si quid nominatum pauperibus per homines pios relinqueretur; id enim nullo jure sibi vindicare vel inter se partiri possent Clerici; quemadmodum bene reflectit Epo *n. 57.*

XXVIII. "Sed neque quisquam rectè negaverit [ait idem *n. 58.*] quin ita moderatè deceat vivere Clericos, etiam de portionibus pro stipendio sibi destinatis, ut pauperibus & egenis magnum sit ab ipsis auxilium, de quo Fundatores optime speraverunt quoad id quod sumperuerit."

XXIX. Itaque quaecumque circa bonorum Ecclesiae varia dispensandi norma pro temporum & locorum conditione fuerit, aut alia Clericorum vivendi exterior disciplina intervenerit, is perpetuus fuit Ecclesiae circa sua bona sensus, ut ex iis suorum Ministrorum necessitatibus provideretur, & quod reliquum esset, in pauperum alimoniam aliove pios usus impenderetur, illaque bona semper ut *res Dei & patrimonium Christi* considerarentur, & ut talia sanctè & fideliter dispensarentur.

CAPUT VII.

De Testamentis Clericorum.

1. Quare vetitum Clericis jam pridem fuerit de bonis Ecclesiae testari.
2. Canon vulgò Apostolorum id ipsum vetans.
3. Idem probat Canon Carthaginensis.
4. O. caso hujus Canonis.
5. Monitum ad Clericos disponentes de patrimonialibus.
6. Justinianus inhibuit Episcopis testari de bonis post ordinatorem acquisitis.
7. Conformiter ad Justiniani Sanctionem respondit S. Gregorius.
8. Idem voluit plures Decretales.
9. Pluribus saeculis duravit haec disciplina; & à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. renovata.
10. Decretum hujus Concilii etiam de mobilibus intelligendum.
11. Generaliter de omnibus intus Ecclesiae acquisitis.
12. Nec in piis causis per testamentum de his disponere de jure poterat; consuetudini tamen aliqua concessi incipiebat.
13. Consuetudo relinquendi aliqua pauperibus à Pontifice dicitur non improbanda.
14. Per Rescriptum Pontificis relatum in Decretales haec consuetudo habita ut à jure probata.
15. Hinc invaluit, Clericos de jure posse facere rationabile testamentum.
16. Saeculo 14. Synodus Colonensis non permisit Clericis condere testamentum nisi juxta consuetudinem jure probatam.
17. Quomodo haec consuetudo sensim extensa sit; & facta Clericis libera à testandi auctoritas.
18. Hinc extensio occasione dedit facultas dispensandi.
19. Item difficultas discernenda quae bona ab Ecclesia, & quae aliunde sint profecta.
20. Consuetudo testandi de bonis Ecclesiasticis non ubique eodem tempore invaluit.
21. In Hispania recepta consuetudo permittens Clericis liberè testari.
22. Idem in Gallia receptum.
23. In Belgio nonnulli Episcopi praetendunt, Clericos ad te-

standum necessariam esse eorum licentiam; pro qua & certa jura praetendunt.

24. Academia Lovanensis quid circa hoc observet.
25. Facilius Clericis, quam Episcopis testandi licentia indulgetur; consuetudo tamen eam non indulget.
26. Non eadem est Episcopis libertas in Italia.
27. An Regulares possint ex indulto Pontificis condere testamentum.
28. Quid de regularibus assumptis ad Episcopatum?
29. Consuetudo aut licentia testandi non permittit Clericis disponere in usus profanos.
30. Consuetudo haec non immutat naturam proventuum Ecclesiasticorum.
31. Id ipsum probat Synodus Tridentina.
32. Quomodo testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in usus profanos ut consuetudinis justificentur?
33. Attendendum à Clericis hac in parte Decretum Synodi Osnaburgensis.
34. Item Decretum Synodi Antverpiensis.

I. Otavimus supra capite 4. Episcopos alioque beneficiatos semper reputatos fuisse tamquam simplices rerum Ecclesiasticarum dispensatores; ut ex iis sumant quae ad necessitates proprias sufficienter, reliqua vero in pauperes, aliove pios usus juxta regulas Ecclesiasticas, & Offerentium voluntatem impendant.

Cum vero dispensator de rebus dispensationi suae creditis testari nequeat, etiam Episcopis exterisque Clericis jam pridem vetitum de rebus intuitu Ecclesiae acquisitis testamentum facere.

II. In Canone 40. vulgò Apostolorum dicitur: "Sint manifesta res propria Episcopi, (si tamen habet proprias) & manifesta Dominica: ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus sicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere: nec sub occasione Ecclesiasticarum rerum ea, quae Episcopi esse probantur, interdicant." Fortassis enim aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos aut servos. Et justum est hoc apud Deum & homines, ut nec Ecclesia detrimentum patiatur ignorantia rerum Pontificis, nec Episcopus vel ejus propinqui sub obtentu Ecclesiae proferantur, & in causas incidant, qui ad eam pertinent morsque ejus injuriis mala fama subiciatur.

Id ipsum statuit *Can. 24. Concilii Antiocheni.* Ex his manifestum est, jus quidem Episcopis fuisse, bona propria, id est, non intuitu Ecclesiae acquisita, relinquere quibus velint; at de rebus Ecclesiae non potuisse disponere.

III. Non ab simile est quod *Can. 49. Concilii Carthaginensis III. apud Gratianum Caus. 12. q. 3. can. 1.* decernitur, ut nimirum Episcopi & quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, debeant omnia quae post ordinationem comparant Ecclesiae conferre. Si autem ipsis pro parte aliquid liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenit, faciant inde, quod eorum proposito congruit.

IV. Hunc Canonem referens Cardinalis Baronius ad *an. 397.* scribit: "ocasio faciendi hujus Canonis ista fuit. Cum reddita pace, Ecclesia ubique bonis afflueret, cum plures ex iis qui eidem ministrabant, pietatem in quantum convertentes, studio sanctitatis & cura pauperum abjectis, divitias colligendi ardore dumtaxat flagrabant, de quibus haec Hieronymus *Epist. 2. ad Nepotianum*: Nonnulli sunt divites monachi quam fuerant saeculares & Clerici qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerunt, ut suspiceret eos Ecclesia divites quos mundus habuit antea mendicos. Et paulò post: Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem